



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Semita Perfectionis Purgativa, Illuminativa, Et Unitiva

Dirckinck, Johann

Coloniae Agrippinae, 1705

VD18 15298639

3. Mortificatio peccati venialis.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55242](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55242)

Aspirationes.

I. *Quomodo possum hoc malum facere,
& peccare in Deum meum? Gen 39. 9.*

II. *Domine vim patior, responde pro
me: Malo mori, quàm scèdari. S. August.*

III. *Ita me fulci, gratiâ tuâ, Domine,
ut omnia málum amittere, & mortem
subire, quàm Te Deum meum, peccato
lethali offendere.*

PASSUS III.

Fuga peccati venialis.

TEXTUS.

*Septies cadet justus, & resur-
get. Proverb. c. 24. 16.*

Cognitio.

PECCATUM veniale est transgressio libera
præcepti leviter obligantis, adeoque est
offensa Dei, non tamen talis, ut dissolutio-
nem amicitiae divinae, & pœnam sempiter-
nam promereatur. Peccatum verò hoc va-
riis modis committitur, ut docet Cassianus
Coll. 20. c. 11. nimirum, ignorantia, obli-
vione, cogitatione, sermone, obreptione,
necessitate, & carnis fragilitate.

Con-

Consideratio Motivorum.

Scio, Domine, à mundi affeclis peccatum veniale nihili duci, & instar paleæ, aut festucæ reputari; verùm an non me, & quemvis alium, perfectionis cupidum, summo illud studio, devitare oportet? Est enim I. macula animæ, eam defœdans; est velut lutum in candida veste: est velut ulcus in venusta facie: est scabies Deo & Angelis invisæ: est culpa, adeò odiosa supremo Numini, & gloriæ cælesti repugnans, ut quamdiu in anima, licet aliàs sanctissima, remanet, eandem à patria beata excludat. II. Ejus malitia est tanta, ut pro ea delenda Dominus JESUS sanguinem suum profuderit; nec omnium Sanctorum lacrymæ, pœnitentiæ, martyria & sanguis, per se sola, ad eam abolendam sufficient. III. Ejus effectus, & pœna omnino pestilens est: cor enim rei creatæ affigit, charitatis fervorem minuit, intellectum obscurat, voluntatem indurat, in exercitio virtutum alacritatem minuit, in oratione & cultu divino gustum ac devotionem tollit; ad peccatum lethale, veluti morbus ad mortem, disponit; & denique gravibus suppliciis, & in hac vita, & in igne purgante plectitur.

Quanto igitur hoc peccatum odio prosequendum? Quo dolore expiandum? Quo studio præcavendum?

Petitio.

Domine Deus meus, omnis puritatis amator, & impuritatis peccati etiam minimi, hostis & osor: Scio, tantam esse peccati venialis malitiam, ut præstet, omnes Angelos interire, homines damnari, Beatos cælo ejici, omnes creaturas in nihilum redigi, quàm te Deum meum, peccato vel levissimo offendi. Ac proinde tametsi omnia ista, unico duntaxat veniali peccato, impedire, omnes peccatores sanctificare, omnes damnatos cælo invehere possem, illud tamen nequaquam liceret perpetrare. Quare bonitatem tuam infinitam rogo, tanto me hujus peccati odio succende; ut omnia potiùs mundi tormenta velim tolerare, quàm Divinam Majestatem tuam peccato veniali deliberato offendere.

Aspirationes.

I. Præserva me Domine à contemptu venialium peccatorum: nam *qui spernit modica, paulatim decidet.* Eccli. c. 19.

II. *Fac me Domine fugere modica mala: magna siquidem ab illis nascuntur.* S. Chrysof. In c. 7. ad Rom.

III. Malo mori, quàm DEUM peccato veniali deliberatè offendere.

AN-

ANTIDOTA

Præservativa peccatorum, à Sanctis
tradita & usurpata.

- I. Sacramentorum Pœnitentiæ & Eucha-
ristiæ frequentatio.
- II. Cælestium, æternorum, & novissimo-
rum meditatio.
- III. Fervens oratio, gratiæ petitio, sancto-
rum Patronorum invocatio.
- IV. Viva præsentis Divinæ recordatio.
- V. Librorum spiritualium lectio.
- VI. Assidua mortificatio, & operum pœ-
nitorum usurpatio.
- VII. Per ascesin Ignatianam spiritûs exer-
citatio & renovatio.
- VIII. Examinis generalis & particularis di-
ligens & constans adhibitio.

ANTIDOTA

Deletiva peccatorum venialium, à
SS. Patribus insinuata, & ab
Ecclesia approbata.

- I. O Ratio Dominica, omnibus Christia-
nis à Christo præscripta. S. Aug.

- II. Tussio pectoris, à Publicano & aliis usurpata, cum intimo dolore. S. Ang. Epist. ad Seleucum.
- III. Eleemosynæ largitio, & quilibet fervens actus charitatis. S. Aug. Serm. 41. de Sacram.
- IV. Jejunium, & aliæ castigationes corporis. S. Chrysof. hom. 60. in Gen.
- V. Pœnitentia vel dolor animi, gemitus, lacrymæ, confessio, examen conscientie. Chrysof. l. c.
- VI. Aquæ benedictæ aspergio, cum contritione vel dolore. Alexander I. Papa. Et D. Thom. 3. p. q. 78. a. 3.
- VII. Benedictio ab Episcopo data, & id genus similia, quæ peccata venialia delent.

PASSUS IV.

Mortificatio Visûs.

TEXTUS.

Ascendit mors per fenestras.
Jerem. c. 9. 21.

Cognitio.

Magna est oculi & cordis sympathia: ex visu enim facile amor & concupiscentia